



Johannes Plotzius

De Typho Icterode Tropico : Dissertatio Inauguralis Medica


Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCIX.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007235004>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1809

Plotzius, Johannes







DE
TYPHO ICTERODE TROPICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS
MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

PRO

SUMMIS IN UTRAQUE MEDICINA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

JOHANNES PLOTZIUS,
SUERINO-MEGALOPOLITANUS.

ROSTOCHII,
TYPIS ADLERIANIS.
MDCCCIX.

1809

DE

TYPHO ICTERODE TROPICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS
MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHENSI

SUMMIS IN UTROQUE HONORIBUS



EXAMINI

JOHANNES FLOTTIUS,

RUERNO-MEGALOPOLITANUS

ROSTOCHE.

TYPI ALBERTIANI.

MDCCLX.

De typho icterode tropico.

(Gall. *Fievre jaune*, *Mal de Siam*. Angl. *Yellow fever*,
Black vomiting. Hisp. *Vomito negro*, *Vomito prieto*.)

I. Historia typhi icterodis tropici.

Hanc febrem jam longo inde a tempore affuisse, nullo modo in dubitationem vocari potest. Cum autem Americae incolae, tempore quo Hispani illam reperirent, historiae scriptoribus carerent, qui de prima hujus morbi observatione referrent; paucis contenti esse debemus, quae passim apud itinerum descriptores obiter relata legimus. Primae Hispanicae itinerum in America descriptiones nos certiores faciunt, cives eorum saepe ac subito mortuos esse lue, quae cum vomitu nigri sanguinis conjuncta erat, a quo vomitu febris illa in lingua Hispania nomen duxit. Veteres Anglici itinerum descriptores, primos eorum colonos contagiosis et pestiferis luebus decessisse; scriptores paulo seriores, multos colonos biliosi morbi cujusdam vi obiisse narrant. Anno 1690 lues in insula Barbados saeviit, quae typho, quem icterodem appellamus, haud dissimilis erat. In insula Martinique adhuc fama perfertur, febrem, quam nunc flavam appellamus, nave ab ora Siamensi profecta illatam esse. *Pater Labat*

hujus rei in itineris sui descriptione mentionem facere dicitur. Equidem narrationis veritatem in dubium voco. Quamvis enim in nave, quum in portu aut prope oram terrae alicujus est, quam plurimi sint hac febre affecti, morbus tamen desinit, primum ac navis altum mare petit et tres quatuorve hebdomades in eo immoratur. Ad nave autem a Siam usque ad insulas Antillas proficiscendum seculo decimo septimo sex fere mensibus opus fuit. Nam aut promontorium bonae spei, aut promontorium Horn praetervehendum fuit. Quomodo autem fieri potuit, ut aër et frigus maritimum tam longi temporis spatio contagionis materiam nullo modo tolleret? De mea quidem sententia, quam aliis nullo modo obtrudere mihi animus est, febris flava jam antiquissimis temporibus, tanquam morbus endemicus, intra circulos tropicos regnavit, et falsum est, quod de supra memorato modo, quo illata sit, contendunt.

Symptomata typhi icterodis tropici secundum observationes in insulis Martinique et Barbados habitas.

Hic morbus quum sub variis speciebus et gradibus se manifestet, tres varietates discernere satius putavi. Cognomina, quibus illas distinxerim, non incongrua esse spero.

Prima varietas: typhus icterodes remittens.

Haec varietas eo discernitur, quod remissiones habet, quae distinctius distingui et animadverti possunt; certe initio morbi. Saepius siccis anni mensibus, quam nebuloso et procelloso anni tempore, eam observavi. Europaei et Americani septentrionales, cum

ii, qui recens accesserant, tum ii, qui jam aliquod tempus adfuerant, hac typhi specie magis afficiebantur, quam indigenae. Non longi erant prodromi, raro illi ea laborabant, qui jam asthenia quadam erant affecti. Interdum ii, qui in hanc morbi speciem inciderunt, ad summum octo dies antea languoris quidquam sentiebant, appetitus sensim decrefcebat et brevi tempore ante initium febris plane desinebat, et in taedium ciborum, praecipue carnis, abiebat; obtusus et sensim accrescens capitis dolor, spasmus et dolor quidam artuum, praecipue spinae dorsi, imbecillitas memoriae, animi aegritudo et sensuum hebetudo, interdum lingua colore albo aut subflavo obducta, gustus sordidus et vilis, oris siccitas, nonnunquam sitis praecedebant; in herbae Nicotianae fumo per fistulam ducendo nihil erat jucunditatis, anxietas quaedam et pressus quidam in hypochondriis accedebant; aegrescentes se passim nauseare et ad vomitum proclives esse non raro conquerebantur, saepius catarrho quodam et alvo obstructa laborabant. Haec morbi accedentis symptomata sensim ingravescebant (interdum omnino non aderant), donec febris, plerumque noctis tempore, cum magis minusve vehemente frigore et horrore, quae modo breve tempus, nunc aliquot horas durabant, accederet. Cum feбри conjuncta erant capitis dolores, qui interdum sensus obstupefaciebant, dorsi et artuum dolores, languor, dyspnoea, quae non continuabat, angor magnus, vehemens pressus cum dolore obtuso in regione epigastrica, inprimis in dextro latere, gustus sordidus plerumque amarus, lingua sicca et obducta, magnum taedium et nausea, ructus et saepe verus vomitus, quo plerumque primo crudae
 ali-

aliquot ciborum reliquiae, deinde subflavum, tum post quasdam repetitiones fere semper subviride aut viride se evomebantur; insomnia et magna inquietudo (interdum profluvium alvi) saepius cum tenesmo conjuncta, urina valde rubra, quae colorem, remissione durante, raro mutabat, nec sedimentum habebat. Post frigus plus minusve durans aclus plerumque magnus incipit; omnia symptomata ingravescunt, oculi lucem formidant et inflammantur, facies colore rubro obducitur, nec raro totum corpus rubidius fuit, sinciput ardet perinde ac cutis, quae ita in duritiem abit, ut digitis extremis tangentium injucundi aliquid afferat; multi aegroti vehemente siti laborant, alii ea carent, quamvis lingua et os sicca sint et saepius durescant. Pulsus arteriae, qui durantibus prodromis morbi fere non, et durante frigore non multum a naturali pulsu differebat, fit citior, durior et celeritate usque ad 125—140 pulsus parte sexagesima horae accrescit; non raro aegroti delirant in primo caloris accessu, passim ingemiscunt, non delirantes autem tristitia afficiuntur, medico quaerenti vix respondent, morosi et impetuoosi animi sunt. Cum calor magnus sex usque ad triginta horas duravit, exhalatio et tandem sudor exsistit. Jam symptomata sensim decrescunt, prout cutis humescit, delirantes ad sanitatem plerumque redeunt, et quidam non ita graviter aegrotantes durante sudore somnum lenem et placidum capiunt; vehemens vomitus saepius desinit, et cum remissione nunc incipiente symptomata omnia tolerabiliora sunt. Spatium exacerbationis valde differt; interdum durat sex usque ad duodecim horas, saepissime viginti quatuor usque ad triginta sex horas, rarius ter quatuor et viginti horas

horas. Si fitis cum exacerbatione conjuncta erat, durante remissione plane desinebat et pulsus arteriae naturali fere modo micabat. Si vomitus durante sudore nondum cessaverat, per remissionem cessare solebat; infirmitas virium autem multum accreverat. Remissionis spatium valde differebat et raro gradum vehementiae symptomatum sequebatur; interdum aliquot horas, ad summum 36 horas, plerumque 12 usque ad 15 horas durabat. Etiam si omnia symptomata, durante remissione, minus vehementia erant, somnus tamen parum recreabat et gravis esse solebat; stomacho cibus repleto, angor et vomitus plerumque sequebantur.

In secunda exacerbatione omnia symptomata supra memorata pejora evadebant, delirium erat vehementius, multi clamabant et lamentabantur, quasi in maximo periculo essent, e lecto saliebant et effugere conabantur, vix in lectulo retinebantur; lingua fiebat valde sicca, fusca et interdum scindebatur; circa dentes et labra materia nigra et tenax apparebat; vehemens vomitus saepius redibat, regio ventriculi ne minimam quidem tactionem sustinere poterat. Haec secunda exacerbatio longius durare solebat, quam prima; oculorum inflammatio accrescebat; aegrotantes occiput et cervicem dolere non raro conquerebantur, saepius stranguria et dolore in regione vesicae laborabant, sudor frequentior esse solebat quam in prima exacerbatione, et remissio brevior quam prima.

Tertia exacerbatio cum vomitu nigrae cujusdam, coffeae sedimento aut liquidae, pici similis materiae non raro conjuncta erat; aegroti etiam post vomitum nigri sanguinis alvum sponte exonerabant.

Primum faeces felleae, deinde materiae materiae jam memoratae non dissimilis excutiebantur. Jam lingua nigrescebat, albugo oculi et collum colore flavo, qui totum corpus sensim invadebat, obducebantur. Niger vero vomitus et color flavus oculorum, cutis et urinae non erant symptomata in quovis aegroto occurrentia, nec se invicem semper comitabantur, color flavus in levibus symptomatibus nonnunquam exsistebat, vomitus autem niger cum maximo vitae discrimine semper erat conjunctus. Dolor in regione ventris et hepatis accrescebat, (quidam dolore in imo humero afficiebantur) iniquies tam gravis erat, ut aegroti semper jactarentur. In accessu secundae et sequentium exacerbationum nonnunquam fere minimus frigoris sensus animadvertebatur, aestus autem cum quaque nova exacerbatione multum accrescebat; singultus ac subsaltus tendinum jam symptomata erant satis crebra et delirium furiosum non raro in delirium tranquillum et in comam abiebat; sudor frigescebat et tenax fiebat, remissio brevior erat et minus distingui poterat. In gravibus et longius durantibus exacerbationibus, in primis si cum nigro vomitu, convulsionibus et haemorrhagiis conjunctae erant, nulla remissio amplius animadvertebatur. Hi aegroti vomitu, singultu, spasmis et animi deliquiis cum frigido et tenaci sudore alternis succedentibus, diem obiere supremum.

Huic tertiae exacerbationi superflites ita infirmitate erant affecti, ut saepe moveri non possent, pulsus arteriarum erat tardus et nonnunquam ita languabat, ut quadragies aut quinquagies sexagesima horae parte solummodo micarent. Quidam ante mortem mentis
rursus

rursus compotes fiebant et lenti plerumque videbantur, pauci flebilem suspirium et lamentationem edentes decedebant. Urinam nigram in hac varietate non animadverti, sed pustulas boae et petechiis similes, saepius pustulas in ore, quae autem ad morbum sublevandum nihil facere videbantur. Non raro e variis corporis partibus sanguis effundebatur, e. g. e naso, palato, faucibus et gula; in nigro alvi profluvio saepius sanguinis rubri aliquid inerat. Excoriationes intestini recti non erant raras. Sanguines profusiones e vesica, cute et genitalibus alii animadverterunt, equidem illas non vidi, sed vibices paulo ante mortem. Materia evomita cum morte appropinquante aegrotantium pejus olebat et excrementorum odor saepius ferri nullo modo poterat. Aegrotantes hac varietate ante quintum diem rarius moriebantur, plerumque inter septimum et decimum diem; accidit tamen, ut, primis exacerbationibus non vehementibus et nigro vomitu post tertiam et quartam exacerbationem demum existente, inter decimum et decimum quartum diem decederent. Interdum morbi metaschematismus cum secunda et tertia exacerbatione exsistebat, e. g. febris quotidiana cum typho fixo, quod in me ipsum cecidit, aut dysenteria exsistebat, alios non observavi. In quibusdam aegrotantibus quinque et quod excedit exacerbationes vidi, donec convalescerent aut morerentur, sed tum morbus non erat gravis et symptomata periculosa vel prorsus non, vel paulo ante obitum accedebant. Non omnes decedebant, qui colore flavo obducebantur; sed fere omnes qui nigro vomitu afficiebantur, inprimis si cum profusionibus ex aliis corporis partibus conjunctus erat. Quidam etiam moriebantur, qui

nunquam colore flavo obducebantur, qui vomitu quidem, sed non vomitu nigro nec haemorrhagiis afficiebantur. Itidem multi sine delirio decedebant, et sine aliis spasmodicis quam singultu paulo ante obitum.

Varietas secunda: Typhus icterodes mitis.

Hac varietate praecipue afficiuntur indigenae, senes, aliis morbis debilitati Europaei et Americani septentrionales, mulieres et liberi teneri et ii, qui victu tenui usi, esurie aut animi perturbationibus, timore, patriae desiderio, aegritudine afflicti sunt. Incolae natione Angli the inward fever (febrem internam) illam appellant. Indiciis febriculosis lenibus incipit, et initio non est dissimilis febris lentae nevrodi vulgo appellatae; saepe ita est lenis, ut aegrotantes neglecto quidem affixi sint et negotia peragant, nec raro sine medicamentis fortibus, solummodo usu potionis aquae limonatae aut infusi melissae citrinae convalescant. Sine prodromis fere exsistit, cum leni capitis dolore, vertigine, artuum languore, oscitatione, lascitudine et inclinatione ad somnum, morositate, appetitu decrecente, lingua colore albo paululum obducta, sed sine vehemente siti, cum gustu vili, non raro cum colore cutis subflavo, oppressione mediocri, flatulentia, alvo obstructa, interdum alvi profluvio, sed raro cum inclinatione ad vomitum. Cum exsistit, aegrotans frigore raro afficitur, nisi nocte sub diluculum; aestus non est magnus et sudor ab initio est levis. Remissiones veras non animadverti, sed pejorem conditionem inprimis sub noctem; pulsus artiarum fere semper est tenuis et paulo citatior quam prospera valetudine esse solet. Indigenae

nae tres usque ad septem dies his morbi indicibus afflicti sponte vomunt, quo vomitu multam saepe bilem reddentes convalescunt; febris autem tum rursus affici solent, alii quotannis, alii saepius; omnibus enim anni temporibus apparet. In Europaeis morbus plerumque accrescit, indicia et numero et gradu accrescunt; aegrotantes de majore oppressione et angore conqueruntur, dolores praecipue dorsi vehementiores evadunt, mens fit hebetior, pupilla oculi non raro dilatatur, oculi lacrymant et obfuscantur, infirmitas accrescit, symptomata soporosa existunt, oculi et cutis interdum flavescunt, urina antea aut paulo aut prorsus non mutata colorem flavum induit; sudores frigidi et tenaces, alvi profluvia vehementia, nauseae, vomitus, deliria blanda, singultus, saepe ante obitum nigri vomitus, et, quamvis raro, aliae haemorrhagiae existunt. In hac varietate aegrotans non tam vehementibus doloribus afficitur, quam in majori gradu varietatis primae et in varietate tertia. Morbi spatium incertum est; quosdam dies (tum semper aegroti convalescunt) usque ad quatuor hebdomades durare potest; raro quendam hac varietate ante diem septimum decedere persuasum mihi habeo. Medicamentis congruis tempestive adhibitis pauci hac varietate decedunt.

Varietas tertia: Typhus icterodes vehemens.

Viget praecipue per pluviosos et procellosos menses anni; afficit imprimis Europaeos, qui recens accesserunt, Americanos septentrionales, et eos, quorum temperatio est sphenica, vel qui nimia potione medicamentorum fortium, ut Brownio placet, nimis excitati

sunt. Prodromi omnino deesse solent; interdum jam aliquot horas post contagionem varietas oritur, et subito, nec raro noctis tempore, per somnum cum modico frigore febricoso et vehementibus capitis doloribus accedit. Mox superveniunt dolores in interiore parte cavernarum oculorum, ophthalmia, rubor faciei obductus, ardor et siccitas cutis totius corporis, vertigo et sensuum hebetudo. Frigus breve modo tempus adest, aestus et sitis sunt vehementia, carotides pulsant, pulsus artiarum est vehemens et citior; accedunt haemorrhagia narium, saepius raucitas, semper vero molestus et angens dolor regionis epigastricae, imprimis in dextro latere, magnum taedium et saepius simul cum varietatis accessione spasmus ventriculi ante vomitionem, et re vera vomitus, quo multa bilis flava et viridis redditur, alvus obstructa, ischuria, dolores vehementes cervicis, humerorum et artuum, furor, aspectus trux, insomnia; omnia velociter peraguntur; multi aegrotantes gemitus, suspiria edunt, et alta voce dolores vehementes lamentantur; nonnulli vix sine vinculis in lecto retinebantur, multi valde sudabant, quod tamen morbum non sublevabat, remissio distingui non poterat, ad summum capitis dolor et quaedam alia symptomata paululum remittebant. Varietas haec diurnitate et symptomatum transitione ad summum fastigium a primae varietatis majoribus gradibus differt. Color flavus oculorum, et subflavus, nonnunquam flavescens e nigro color cutis, in quibusdam jam per duos priores dies, in pluribus paulo ante obitum, in plurimis profus non apparet. Contra ea haemorrhagiae, spasmi, niger vomitus et singultus frequentius aderant. Multi jam secundo
aut

aut tertio die post morbi accessionem decedebant, pauci diutius quam usque ad septimum diem vivebant, nisi medicamenta morbum refrarent. Vibices, carbunculi, parotides tumidae et glandulae inguinales interdum animadvertentur. Equidem in hac varietate extremitates inferiores emortuas diem ante obitum vidi. In plurimis, cum symptomata tam vehementia essent, delirium vehemens, postquam duos tresve dies duraverat, in delirium blandum et lethargum abire solebat; raro quisquam decedebat, qui antea vomitu nigro non afficeretur, nec ante obitum singultum abfuisse memini. Arteriae pulsus, cum symptomata ad summum fastigium pervenissent, languescere coepit, sed aliquamdiu citior erat, paulo ante obitum plerumque tardior et remissior erat, in primis cum frigidi et tenaces sudores apparebant, qui ante obitum raro aberant. Lingua fiebat rigida, nigra et saepius scindebatur; dentes et labra circumsidebat materia quaedam nigra et tenax, quem sanguinem e gingiva sudatum esse puto; saepius exsistit sine vomitu nigro, et sanguinis effusio e gingiva non ita rara est. Lineamenta in quibusdam, in primis in iis, qui servari non poterant, valde mutata erant.

Post obitum corpora eorum, qui vomitu nigro affecti erant, subito putrescebant, et materia nigra ex ore et intestinis saepius effluebat: urina nigra etiam nonnunquam fuisse, aut sedimentum nigrum habuisse dicitur, quod nunquam animadverti; alii etiam tetanum et trisimum animadverterunt.

Post tertium et quartum paroxysmum vehementiores gradus primae varietatis huic modo descriptae varietati non dissimiles sunt.

Plures

Plures scriptores Anglici primam a me descriptam icterodis varietatem, sive febrem quam remittentem appellant, morbum singularem et a typho icterode diversum esse voluerunt. Plura signa diagnostica afferunt. At ea signa fallacia expertus sum, et febrem, quam illi remittentem appellant, typhum icterodem leniorem esse puto, cum quo morbus arquatus non est conjunctus.

II. *De caractere et causis typhi icterodis.*

Pauca quaedam de climate, de victu et cultu incolarum illius regionis, qua febris flava semper fere saevit, praemittenda videntur.

I. *De climate in insulis Martinique et Barbados.*

Martinique fertilissimis insulis Antillis est adnumeranda, nec aequae insalubris est ac St. Lucia et Dominica vicinae. Cum Martinique sub decimo quinto gradu latitudinis septentrionalis jaceat, coelum calidum esse oportet. Menses Majus, Junius, Julius, Augustus et September sunt calidissimi; tum thermometrum ante diluculum raro minus quam 85 gradus habet; inter meridiem et horam tertiam pomeridianam plus quam centum gradus habet; menses December, Januarius, Februarius et Martius sunt menses minus calidi et thermometrum 10 fere gradus minus habet. Insula Barbados sita est sub 14 gradu latitudinis septentrionalis; maximus calor calorem insulae Martinique aequat, mensibus minus calidis thermometrum quosdam gradus minus habet, quam in insula Martinique. Aestas igitur sempiterna in his insulis adest et campi semper virent; nix, grando et gla-

glacies a plurimis indigenis ne mente quidem fingi possunt. Anni quidem tempus adest, quam hyemem appellant (Gall. hivernage, Angl. the hurricane months), menses Augustus, September et October; sed hac voce modo insignitur tempestas, quae a constante tempestate mensium ceterorum diversa est. Mensibus enim hibernis, quos vocant, ventus est validior, quam reliquis mensibus, violenti turbines non raro existunt, ita ut arbores cum radicibus e terra evellantur et domus evertantur; furor tamen eorum singulis annis non aequè magnus est. Per procellosos menses ita pluere solet, ut aqua e fitulis fundi videatur; saepius per plures hebdomades pluit, quibus sol non raro, quamvis nubibus obductus, conspicuus est. Interdum pluvia horas et dies quosdam definit, tum sol lucem oculorum aciem praestingentem et majorem calorem, quam solet, fundit. Pluvia cessante, nebula densa, quae saepius male olet, existit; ita fit, ut pluvia, lux solis et nebula uno die vel duodecies saepe alternent. Haec tempestas longe insaluberrima est. Mensibus Maji, Junii, Novembris et Decembris non deest multa pluvia, quae saepius cum tonitru est conjuncta. Tonitru autem non magnum detrimentum affert. Fulmen ad nebulis obducta cacumina montium, quibus Martinique non caret, inter quos Mont Calbas insignis est *), cursum dirigere so-

*) Incolae ejus insulae haud ignari, me certiore fecere, montes illos nobilibus metallis abundare. Grana aurea in fluminibus et oris insulae certe inveniri solent. Montes ergo metallis abundantes fulmina ad se allicere probabile est.

folet. Montes ignivomi in insula non amplius inveniuntur, sed montium, qui ignem vomuerunt, vestigia. In insula Barbados est regio, in qua terrae motus frequentes sunt, et in insula St. Christophori mons hoc ipso tempore ignivomus. Tempus, quo terra movetur, insaluberrimum esse quidem putant; sed per terrae motum mense Julii 1802 in insula Martinique, incolas raro decedere animadverti, et militum pauci in nosocomio erant.

Venti inter circulos tropicos ab oriente versus occidentem flant, medio autem die circiter lineas quasdam pyxidis nauticae magis ad meridiem vergunt, quam matutino et vespertino tempore. Prope oram insularum Antillarum aliorum vergunt, in primis nocturno tempore, cujus ratio a montibus et vallibus insularum, et ipsa earum forma repetenda videtur. Incolis beneficio est, in maximo calore ab undecima usque ad tertiam horam ventos nunquam fere silere. Nubium effusiones in insula Martinique non ita raras sunt, in altis montibus existunt, rivos tenues in amnes velocissimos transformant, et multum detrimenti afferunt. Soli fertilitas est maxima; singulae tempestates fructibus maturis abundant, nec legumina Europaea, quae ibi bene proveniunt, ullo tempore deesse animadverti. In animalia Europaea e. g. equos, boves (qui cholelithos in hepatibus habent), idem, quod in homines cadit; quamvis alimentis abundant, labores ferre non possunt, et minus bene, quam in patria, proveniunt. Sed porci, caprae et pecus pennigerum melius, quam in climate nostro, proveniunt; fluvii et mare piscibus sapidis abundant.

2. *De cultu et victu incolarum.*

Infula Martinique, dum aderam (ab anno 1796 usque ad annum 1803) ab Anglis et Gallis habitabatur *). Galli parcius vivebant, mane surgebant et ambulabant, jentaculo eis erat coffea aut chocolata cum multo pane. Feminae nobiliores raro ante octavam usque ad decimam horam surgebant, et simili jentaculo utebantur. Inter undecimam usque ad primam horam prandebant, jure multo, carne bubula cocta, fereulo quod Ragout vocatur, piscibus, et multo legumine et fructibus illius terrae vescebantur. Per prandium vino vili rubro uti solebant, illudque certe usque ad dimidiam partem cum aqua miscebant. Prandio finito coffea forti, quam syrupo dulcem reddebant, utebantur. Omnes cibi condiuntur pipere hispanico recenti, quod ibi agreste est. Paulo ante occasum solis et viri et feminae ambulabant, et vespertino tempore, nisi plueret, ante ostia sedebant, ut aura vespertina jucunda fruerentur. Circiter horam octavam vespertinam frugali coena, quae jusculo et piscibus constabat, utebantur, et circa horam decimam cubitum ibant. Ad sitim extinguendam per diem frigida et tenui potione, quae Punsch vocatur, et potione, quae Sansgré **) appellatur, utebantur; feminis aquae

li.

*) Vix duodecim Americani ibi habitabant, Hispanorum, Germanorum et Itatorum numerus adhuc minor erat.

**) Illa potio constat mixtura vini rubentis, succi citrei mali, syrupi, aquae et nucis moscatae tritae. Qui illo ficerae genere, quod Rum vocatur, utebantur, illud syrupo commiscebant.

limonatae aut aquae per lapidem refrigeratorium percolatae usus frequens erat; et viri et feminae certe ter tantum panis comedebant, quantum Angli, labores corporis formidabant, feminae modo muliebrem mundum curabant, et rei familiaris curam fervis relinquebant. Viri in fluviis saepius lavabantur, et feminae domi. Invalitudine accedente viri et feminae aqua calida domi lavantur, et multa ptisana ex oryza aut herbis invalidis ibi nascentibus confecta utuntur. Feminae nobiliores rure aliquem visurae equis vehuntur, aut a duobus Aethiopibus stragulo pensili (Hangematte) feruntur. Per calorem diei feminae nunquam, viri raro in platea sine umbella inveniuntur. Rebus venereis uterque sexus multum tribuit. Incolae agrorum, qui *Plantagen* vocantur, victum et cultum habitatorum urbium confectantur.

Angli non ita mane surgunt, validum infusum theae praestantioris et ova quaedam mollia et forbilia iis jentaculo sunt; circa meridiem denuo jentant; caro ignem non experta, perca, botuli, salmo non defunt, pro pane secalino pane triticeo uti solent, vinis Maderae aut Portus Sancti, cerevisia valida, quae Porterbier vocatur, cerevisia Anglica, quae Ale appellatur, potione valida frigida, quae Punsch vocatur, cum multa nuce moscata trita, aut ficerae genere, quod Rum vocatur, cum aqua commixto utuntur. Circa horam quartam, negotiis peractis, indusia quotidie mutant, tum prandeunt. In hoc prandio carne cocta omnis generis (cum caro bubula vilis esse solet, carnem vervecinam et caprinam praeferebant), piscibus et saepius testudinibus utuntur. Legumina modo Europaea mensam ornabant *).

Po-

*) Usus tamen radicis, quae Yam vocatur, non infrequens erat.

Potionibus autem validis jam memoratis affatim utebantur, in amicorum coetu raro ante horam octavam, saepe vino obruti prandium finiebant. Sine amicorum coetu plerique ampulla (Pinte) vini validi et cantharo cerevisiae, quae Porterbier vocatur, contenti erant, et ambulando aura vespertina usque ad horam septimam fruebantur *); tum amicos et caupones visabant, denuo strenue potabant, pauci ante mediam noctem cubitum ibant. Rarius lavabantur, nunquam autem domi, sed in mari. In insula Barbados victus cultusque incolarum victui cultuique Anglorum in insula Martinique haud dissimilis est. Angli indigenae cibos condiunt pipere Hispanico. Feminae Anglicae in utraque insula sunt alacriores, quam Gallicae, potionibus validis non multum tribuunt, cerevisia secundaria, quam smallbeer vocant, uti solent, nec ita pallent et morbidae aspectu sunt, quam feminae Gallicae. Plerique Angli indusiis panno, qui Flanell vocatur, factis utuntur.

Aethiopes et omnes, qui versicolori populo (coloured people) annumerantur, cum liberi (nisi divites sunt), tum servi tenui victu utuntur. Pisces sale conditi, haleces viles, farina Manios, panis, fructus Banana, radix Yam, solana tuberosa dulcia, et oryzae genus, quod Mais vocatur, sunt iis praecipua alimenta; carne, nisi sale condita aut suilla, raro utuntur. Cibos multo pipere hispanico recenti condiunt. Siceræ genus recens, quod Rum vocatur, quam maxime amant, cujus in usu sibi temperare non possunt. Cerevisiae quoque genus, quod cortice Guajac et sacharo constat, multum

C 2

amant.

*) Coenae, quae vulgo Abendessen vocatur, non erat locus.

amant. Nisi pecunia carent, herbae Nicotianae fumum e fistula semper ducunt. Labore non conficiuntur; sed rebus veneriis valde dediti sunt *).

Anglia perdidit bello posteriori in insulis sub vento 25000 usque ad 30000 militum, quorum certe dimidia pars typho icterode moriebatur; tertius quadrans dyssenteria, et quartus quadrans aliis morbis et vulneribus. Ut lectoribus exempla quaedam magnae mortalitatis proponam, modo proferam, regimentum, quod 1800 militibus constabat, a principe a Loewenstein in terris Haunoveranis paratum et Anglis mercede locatum erat, duorum annorum et sex mensium spatio, quo plures milites in supplementum acceperat, quam bello amiserat, ad 200 fere milites reductum esse. Aliud regimentum, nomine Hardy, constabat 800 militibus, postquam 8 menses in St. Lucia in praesidio fuerat, 30 modo milites supererant. Tenuis victus, nimii labores, domicilium insalubre et fordes non erant mortalitatis causae; quisque enim miles gregarius per hebdomadem 8 libras panis secalini, 2 libras carnis recentis, 3 libras carnis bubulae sale conditae, 18 ℥ carnis suillae sale conditae, 7 ℥ coffeae vel avellanae Mexicanae, quae Cacao vocatur, 21 ℥ sachari, duo vasa granorum orobinorum degluptorum (Erbfengraupen), 9 ℥ oryzae, praeterea per diem ampullam (Pinte) vini Maderae, aut, illo deficiente,

*) Haec subest causa, ut negotiatio ista venalitiaria non desinat. Si magistratus modo curam adhiberent, ut connubia contraherentur, et supra poena afficerentur, negotiationem istam nefandam paucis annis desitutam esse, persuasum mihi habeo.

ciente, $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$ ampullae *rum* veteris, et per mensem quatuor Hispanicos dollarios (dollars) accipiebat. Quaevis centuria (Compagnie) habebat vasa culinaria sibi propria. Cum milites non omnem carnem consumere possent, tantum carnis vendebant, quantum ad legumina emenda necessarium erat. Militum domicilia, quae Casernen vocantur, locis editis plerumque exstructa erant; ubi autem loci natura id non sinebat, ab aliis tamen domibus segregata erant. Domicilia illa quotidie fere abluebantur, milites gregarii a primoribus impulsis saepius lavabantur. Lintea eorum erant munda, togis etiam cucullatis (Capotröcke) utebantur ad injuriam pluviae et aëris nocturni defendendam. Labores graves iis non suscipiendi erant, ad quos perferendos regimentum quodque certum Aethiopum numerum habebat. Providebatur etiam, ne milites *rum* recens (tassia, kill devil) acciperent; primum ac invaliditudinis causa miles munere fungi non poterat, in nosocomium ferebatur; in domiciliis, quae *casernen* vocantur, vel in stragulis pensilibus vel in stragulis dormiebant.

3. De typhi icterodis caractere et causis.

Hunc morbum febrem asthenicam esse puto, cum passione gravi et irritabilitate aucta omnium extorum, quae ab arteria coeliaca ramos ducunt. Si morbus est gravis, febris cum inflammatione hepatis asthenica (stomachi et splenis), secretionem aucta hepatis *), saepius cum

*) Interdum cum vomitu nigro liquor albus simul evomitur, qui liquor gastricus esse videtur.

cum haemorrhagiis aethenicis stomachi, duodeni, verissimiliter etiam hepatis, nec raro cum ictero subito existente est conjuncta.

Causis remotis adnumeranda esse videntur:

1) Contagio. Multi scriptores typho icterodi majorem contagionis vim tribuerunt, quam re vera habet. Contagionis exempla plura vidi; sed hanc vim typhum illum modo in majori gradu habere, et si qui morbi peste inficiebatur propter alias causas ad typhum propensior erat, mihi est persuasum. Quin lues, quae annis 1800 et 1803 Gedani et aliis locis Hispaniae australis saeviebat, typhus icterodes fuerit, nullus dubito; sed eum ex America septentrionali eo perlatum esse, mihi persuadere nullo modo possum. Quare non in ipsa Hispania aut in ora septentrionali Africana per tempestatem et alias causas existere potuit? Si contagio tam facile navibus inferretur, in Lusitania, Hispania, Gallia et Anglia, quamvis ii, qui a locis luibus infectis accedant, quadraginta dies extra urbes commorari cogantur, quavis aestate hanc luem existere oporteret.

2) Quaedam nondum chemice satis definita temperationis aëris vitia, terrarum humiliorum et saltuum, qui rivis et canales non habent et in quibus multa insecta, herbae et folia anni quaque tempestate putrescunt, exhalationes. Utrum hic aër paluster modo propter abundantiam gasis hydrogeni, an propter alia gasis genera infalubris sit, definire non ausim; sed milites, qui unam modo noctem per saluberrimam anni tempestatem illum aërem spiritu duxerant, altero die typho affectos esse, multa suppetunt exempla.

3) Aestus typhi icterodis causa est necessaria. Aestus tantus,
quan-

quantus est in insulis Indicis Occidentalibus, hepatis irritabilitatem minuit, ideoque fellis secretionem auget et mutat, et totam corporis temperationem infirmitate afficit. Hoc saepius in militibus animadverti, qui itinere quodam per diei calorem confecto subito aegrescerent et plerumque typho repente decederent.

4) Aër nocturnus et dormitio in terra per noctem, per quam semper multum rorat, pluvia, quae corpus subito madefacit, nudatio corporis sudantis, ubi aerae est meatus, usus aquae frigidae subito post excalfactionem, transitio quaeque subita a calore ad frigus, non solum facilius, quam in Europa pituitam afferunt, sed etiam multis millibus hominum typhum attulerunt.

5) Vehementes corporis labores non solum iis nocent, qui laboribus non sunt assuefacti, sed etiam opificibus Europaeis. Opifices mox mori solent. Sartores, opifices horologiarii, et ii, quibus ad opificium exercendum non magnis corporis viribus opus est, et qui opus domi conficere possunt, facilius convalescere animadverti.

6) Aëris circulatio repressâ. Januas et fenestras clausas habitatoribus domuum nocere, in insulis res est notissima. Urbes multae commoditatis portuum causa ita exstructae sunt, ut propter montes et sylvas ventis non satis expositae sint, atque adeo sunt insaluberrimae. Castris (Castris) in insula St. Lucia multi ob eam causam decedebant, dum magistratus, sylvis finitimis exstirpatis usque ad insulae partem vento obnoxiam, urbi liberum venti meatum compararet.

7) Humida et humilia domicilia in insulis semper sunt insaluberrima, quemadmodum nebula et humida tempestas longiuscule
du,

durans. Homines languent (fortasse nimio deductu vis electricae animalis): exhalatio reprimitur et multi aegrescunt.

8) Victus et cultus. Non dubito, quin multi Angli, si non usu ciborum maxime nutritibilium, sed potionum fortissimarum sibi noceant. Anglia perdidit multos milites, qui *rum* recenti atque adeo venenato inebriarentur. Incolae natione Galli non ita graviter typhi varietate secunda, dyssenteria et hydrope afficerentur, si cibis nutritibilioribus uterentur, et fructibus acidulis parcius vescerentur.

9) Aqua potioria male comparata, imprimis in castellis, quae semper locis editis sita sunt, fontibus carent, et ubi aqua pluvia in magnis cisternis asservatur, non raro male olet et cum insectis mortuis commixta est. In insula Barbados aqua fontana habet gustum falsum, advenis alvi profluvia et dysenterias, indigenis testiculorum tumorem dolore vacuum affert, quo multi per omnem vitam affecti sunt, sed qui virilitati non nocet.

10) Perturbationes animi vehementes, ira excandescens, metus contagionis, patriae desiderium, indignatio, complexus Venereus, imprimis per ebrietatem.

11) Solum argillaceum tempestate pluviosa aëri circumjecto multum materiae acidae detrahere atque adeo aëris insalubritatem augere, ut Humboldio placet, non ab omni veri specie destitutum est; sylvarum autem exsiccationem sanitati nocere, nullo certo fundamento nititur, quia insulae, quae nullas aut paucas sylvas habent, exempli gratia Antigua, Nevis, Saba, Anguilla et ceterae saluberrimae sunt. Sabae incolae valitudine magis prospera

prospera, quam nos in nostro climate, utuntur, et ad senectutem perveniunt.

Causae eadem, quae typho nervoso et putrido in nostro climate nostro sunt, inter circulos tropicos typhum icterodem gignunt, quem autem symptomata quaedam sequuntur, quae rarius in typho nostro in tanto gradu, etiamsi ab haemorrhagiis et polycholia comitatur, animadvertuntur, scilicet niger vomitus, nigrum alvi profluvium et flavus corporis color. Niger vomitus oritur e stomachi, tractus intestinorum et hepatis, in quo, si secatur, similis materia nigra invenitur, sanguinis profusionibus, et, ut voce utar, melaea est acuta. Profluvium nigrum eandem habet causam. Corporis color flavus in terra nostra non raro animadvertitur, cum in sthenicis, tum in asthenicis cum cholera mixtis febribus; sed rarius tam subito existit et tantum gradum adipiscitur. Scriptores multi, qui de febre flava, quam falso appellant, commentati sunt, hoc symptoma ab obstructionibus et constrictionibus spasticis ductus choledochi deducunt; quidam illam a felle sugendo per venas lacteas proficisci affirmant; illam autem a remittente actione organi cutis oriri, mihi verisimillimum videtur. Argumenta inveniuntur apud Brandis in libro inscripto: Versuch über die Metastasen, §. 10 et aliis locis. Urina nigra, quam alii vidisse affirmant, et quae certe in lue Gedani non raro obvia erat, nihil nisi sanguinis profusio e renibus, uretheris aut vesica esse videtur *).

In

*) Typhi icterodis accessionem lunae vicissitudinem sequi non animadverti. Jacksonius et Gillespius affirmant.

In funeribus sectis putredinis vestigia inveniebantur, quemadmodum in typho putrido, e. g. notae nigrae, vibices et emanatio liquidi et putridi sanguinis ex interioribus et exterioribus partibus. Hepar valde auctum esse solebat, et superficies ejus concava saepius rubigine infecta erat. Ren item tumidum erat; vesica fellea crasso, tenaci, fusco felle impleta erat, ductus bilarii erant valde extensi; tunica interna stomachi et tractus intestinorum valde marcida esse solebat, multae notae nigrae et vestigia sanguinis profusionum in ea apparebant; vasa diaphragmatis similiter comparataerant. Pulmones saepius nigri erant et notas lividas habebant. Vesica modo inflammata, nunc flava erat. Apud illos, qui nigro vomitu affecti erant, in stomacho, tractu intestinorum et saepius in hepate materia nigra, in intestino recto interdum coagulum sanguinis rubri inveniebatur. Semel tantum acrimoniam succorum alvi animadverti, ut cultri ad secandum positi colore fusco obducerentur. In funeribus colore flavo obductis omnes partes internae magis minusve flavebant.

In prognosi dijudicanda cautio maxima est adhibenda; prognosis enim nullo fere in morbo fallacior est, quam in typho icterode. Interdum omnium exacerbationum remissio maximam valetudinis recuperandae spem afferebat, sed, quamvis nec medico nec aegrotanti quidquam esset imputandum, saepius omnes exacerbationes cum majori vehementia subito accedentes vitae finem imposuere. Bona autem symptomata erant, si stomachi irritabilitas non ita magna erat, vomitus remittebat, capitis dolor, vertigo, angor, pressus et dolor in praecordiis non ita vehementes erant et mox remittebant,

alvus

alvus, quae antea obstructa erat, exonerabatur, et alvi profluvium modicum exsistebat; si cutis calor deficiebat, cutis mollior fiebat, sudor aliquantus, calidus et continuans accedebat, febris mox et longiuscule remittebat; si post mercurii usum salivatio excitabatur, sitis non ita vehemens erat, potio et medicamenta non semper evomebantur; si meteorismus post quasdam alvi exonerationes diminuebatur, nullae boae et petechiarum similes pustulae apparebant, nullae vibices et sanguinis profusiones oriebantur. Vomitus non sedandus, vomitus niger, convulsiones, delirium continuans, stupor, lethargus, carbunculi, color flavus toti corpori obductus, excrementorum odor cadaverosus, singultus, frigidi et tenaces sudores etc. laeta non portendebant. Feminae et infantes a typho icterode rarius afficiebantur, si autem in hunc morbum incidebant, facile eo moriebantur. Indigenae typhum icterodem facilius perferebant, quam terris septentrionalibus oriundi, diutius autem residua infirmitate, et, exacerbationibus iteratis, morbis succedentibus laborabant, imprimis indurando hepate et rene, hydrope ascite, hydrocele et aasarca, praecipue pedum, qua saepius per omnem vitam afficiuntur. Aethiops typhum facillime perferebant; medicamentis convenientibus adhibitis, pauci illa lue decedebant. Vomitu molesto rarius nec ita graviter angebantur. Fortasse non levi momento est, quod eorum stomachus, valetudine prospera, minus irritabilis est, quam stomachus Europaeorum. Rarius haemorrhagiis laborabant, sed abscessibus, fortasse metastaticis, et pedum ulceribus. Aethiopes ii, qui modo ante breve tempus ex Guinea illati erant, facilius moriebantur, quam ii, qui in India

Occidentali geniti erant, aut ii, qui jam aliquod tempus ibi adfuerant.

4. *De curatione typho icterodi adhibenda.*

Varietas prima.

Prima cura et huic varietati et duabus reliquis adhibenda, in sedanda stomachi et hepatis irritabilitate nimia et sustentanda vi vitali versari debet. Per prodromorum stadium febris accessio per inflamationem exhalationis repressae, calida lavacra, pituitosas et tepidas potiones, diaphoretica lenia e. g. aquam Ammon. acetat., Vin. Antim. Huxh., aut portiones parvas colomilli cum meconio commixtis impediri potest. Vomitoria noxia atque adeo periculosa esse puto, quia fellis secretio aucta non causa, sed effectus morbi est, secretio autem per vomitoria augetur, stomachi certe irritabilitas cum maximo aegrotantis periculo augetur. Si aegrotans modo post paroxismi accessionem medici curae traditur, thermae adhuc magno usui sunt; sudorem adjuvant et saepius oppressionem et ad vomitum proclivitatem leniunt. In nosocomio in insula Martinique in quoque aegroto febi affecto adhibebantur. Aegroti circiter quartam horae partem aqua circa 80—85. gradus tepefacta lavabantur, totum corpus fricabatur et abluabatur, vestibus nosocomii mundis, quae panno, qui Flanell vocatur, indusio excepto, constabant, induebantur, et in lectum, quo aegroti alii nondum usi erant, se conferebant. Aegrotis, si per plures dies alvum non exoneraverant, medicamentum purgativum utile erat. Natron Vitriolat., Natron Tartar., Sal Epfom., cum
qui-

quibusdam stillis Ol. Menthae pip., quae Hunterus etiam optima medicamenta purgativa esse affirmat, adhibebantur. Formula No. 1. tamen melior erat. Si alvus breve modo tempus obstructa erat, saepius Enema Laxans sufficiebat; alvo exonerata, alvi exacerbationes paululum decrefcebant et ad vomitum proclivitas minuebatur. Per accessionem plerumque necessarium erat, ut, ad irritabilitatem stomachi, spasmus ventriculi ante vomitionem, aut vomitionem sedandam formula No. 2. adhiberetur, et vesicatorium magnum camphora sparsum praecordiis applicaretur. Non raro cerevisia, quae Porter appellatur, effervescens, aut sicera Francogallica (Franzbranntwein) genuina, vetus, per cochlearia sumta, vomitionem sedabat; saepius necessarium erat, ut potioni cuique formulae No. 2. quindecim vel viginti stillae Tinctur. Opii Ph. Edinburg. adderentur, dum vomitio desineret. Si accessio cum vomitione non erat conjuncta, Pulv. Antimonialis Doctoris Jacobi parvis portionibus sumtus, utilissimus erat, sudorem modicum excitabat atque adeo accessionem minuebat. Remissione accedente, mixtura No. 4., si vomitio plane desierat, adhibebatur, et saepius accessioni secundae providebatur. Si nausea aut vomitus aderat, mixturae No. 4. usus utilior erat, et in graviter aegrotantibus Tinctur. Opii addenda erat. Ptisana tenuis ex oryza aut hordeo confecta, vinum Maderae, aut vinum subrubicundum, quod *clairret* vocatur, sitim optime sedabant et stomachi irritabilitatem diminuebant. Ptisana e cycade, *saley* et *arrowroot* confecta, aut *beeftea* (carnis bubulae strigosae frustula aquae aestuanti per dimidiam horae partem infusa et sale quodam condita) optima sunt alimenta

menta, quae nec vomitionem nec angorem excitabant. Paroxismo redeunte portiones parvae pulveris *Tames* vulgo appellati, aut haustus N. 5. remedia utilia sunt. Remissione accedente pro stomachi conditione mixtura No. 3. aut 4. adhibebatur, nec, quamvis novae exacerbationes accederent, intermitteri poterat. Primum ac stomachus corticem Peruvianum perferre poterat, mixtura No. 6. per decem usque ad quatuordecim dies assidue adhibebatur, quibus valetudo recuperari solebat. Morbi accessione omnino cessante, cibi nutritiles et dimidia pars lagenae vini Portus Sancti quotidie sumenda ad convalescendum necessaria erant. Exacerbationes gravissimae levabantur hoc modo. Si singultus aderat, mixtura No. 7. utendum erat, si illa singultum et alias exacerbationes spasticas non sedabat, praeterea mucus portionibus gr. X. et quod excedit, et interdum cum Extract. Opii commixtus, adhibendus erat. In capitis et cervicis dolores vehementes vesicatoria capiti tonso et cervici applicata auxilium praebent. Sanguinis profusiones si existebant, haemostatica externa et interna cum curatione jam memorata erant adhibenda. Vomitus niger si oriebatur, boli No. 8. singulis duabus horis sumendi interdum utiles erant, et vitam servabant, ubi vitae spes jam erat amissa. Per morbum necesse erat, ut alvus, nisi sponte quotidie exoneraretur, clystere purgaretur. In delirio et in primis exacerbationibus comatosi epispastica utilia erant. Magnae irritabilitati et doloribus hepatis sedandis fomenta calida et emplastra serviebant. Stranguria fomentationes circa vesicam et adhibitionem catheteris elastici exigebat, quae si cantharidum stimulatione orta erat, camphorae interna atque externa

terna adhibitio, et Spirit. Aether. Nitros. utilis erat. Tenesmo injectiones pituiofae e. g. Clysm. e Amylo cum Ol. Olivar. rec. aut Amygdalar. medebantur. Oculorum et cutis color flavus medendi rationem mutatam non exigebat. Fomentationes iteratae artuum dolores leniebant.

Varietas secunda.

In aegrotis non ita graviter affectis vinum aromate aliquanto conditum et cibi nutritives curationi sufficiebant, in iis autem, qui gravius aegrotabant, eadem medendi ratio, quae in prima varietate, necessaria erat. Mixtura No. 9. saepius efficacissima erat. Gravissimis exacerbationibus sedandis eadem curatio, quae primae varietati, erat adhibenda. Camphorae et serpentariae usus in hac varietate erat utilis, in prima et tertia fallax. Aether Vitrioli, quotidie usque ad \mathfrak{zj} adhibitus, exacerbationibus soporatis saepius solus medebatur.

Varietas tertia.

Quamvis irritabilitas aucta, animus actuosior (sed breve modo tempus) videatur, et morbus ab initio Synochae, certe Synocho Culleni similis sit; methodum tamen asthenicam, venae sectionem et medicamenta purgantia, morbo mederi non animadverti. Plerique eorum, in quibus methodus illa adhibebatur, decedebant, et pauci modo, qui secati erant, methodo sthenica mox adhibita servabantur. Per quatuor primos annos, dum in India Occidentali aderam, in hac varietate similis medendi ratio, quae in prima varietate, adhibebatur, et a. 1800 Ruschii methodus, quae in venis secandis et calomeli usu versatur, adhiberi coepta est. Ex hac curatione efficiebatur,

batur, ut venae sectio noceret, calomelum autem, majoribus portionibus adhibitum, quam hucusque medici ausi erant, utilissimum esset. Cum illud jam a pluribus medicis Italicis in febribus contagiosis typhosis adhibitum et multum celebratum esset, cum Schottius, Chisholmius et Whitius jamdudum in ora Guineae in typho cum vomitu nigro sanando eo usi essent, et cum in analogis morbis e. g. in angina typhosa, trismo et tetano, asthenica et chronica hepatis inflammatione, imo in dysenteria asthenica usus ejus satis exploratus esset; id in insula Martinique in typho icterode sanando non adhibitum fuisse miror. Calomelum asthenia non afficiebat. Eo modo adhibitum, quo Ruscus Philadelpiae in America septentrionali in typho icterode sanando, qui per priores dies characterem sthenicum fortasse habuerat, eo usus erat, aegroti obitum in insula Martinique accelerabat; eo autem modo, quem mox exponam, adhibitum, febris et cum ea junctarum exacerbationum vehementium remissionem efficiebat, imprimis cum salivatio modica exsistebat. Nimiam extorum intentionem, quae in typho icterode graviter afficiebantur, sedabat, et hepatis inflammationi asthenicae cum typho plerumque conjunctae citius medebatur, quam remedia hucusque cognita. Utilissimum erat, si calomelum ex formula No. 10. adhiberi poterat, et multa portione nutritibili, ut in prima varietate, aegroti utebantur. Si vomitus tamen oriebatur, mixturae No. 2. usus necessarius erat. Si exhalatio repressa et cutis duriuscula erat, calomeli usus ex formula No. 11. expediebat, dum exhalatio reverteretur. In aliis aegrotis calomelum alvum quotidie modo aliquot vices solvebat, et salivatio-

nem

nem et exacerbationum remissionem efficiebat; in aliis vim magnam in intestinum exerebat, ideoque ut portio quaeque cum $\frac{1}{3}$ vel $\frac{1}{2}$ gr. meconii commisceretur necesse erat. Si, licet calomelum adhiberetur, singultus et aliae exacerbationes spasticae accederent, calomeli conjunctio cum musco interdum erat utilis. Formula No. 12. In quibusdam aegrotis, cum singultus et vomitus niger jam aderant, calomelum cum pipere Hispanico, inprimis pipere, quod vocant, avium (birdpepper), quae piperis Hispanici species est, commixtum, efficax erat. Formula No. 13. Si aegrotantes infirmitate afficiebantur, antequam remissio inciperet, vinum et infusum frigidum corticis Peruviani eodem tempore, quo calomelum, et cibi nutritives et pituitosi adhibenda erant. Post febris remissionem corticis Peruviani usus per quoddam tempus plerumque necessarius erat. Salivatio raro vehemens et diuturna erat, aegroti nec dentes nec maxillarum partes perdebant, quod Philadelphiae factum esse Eymannus conqueritur. Morbi recidivi in hac medendi ratione multo rariores erant, quam in illa, quam in prima varietate exposuimus. Hepatis vitia residua rarissima erant. Hoc more sanati valetudine commoda postea utebantur. In quasdam exacerbationes vehementes curatio symptomata arcessenda erat, quam in prima varietate commendavimus; inprimis vesicatoria in stomachi et hepatis regione saepius necessaria erant. Exacerbationes spasticae in calomelo adhibendo rariores erant, quam in aliis remediis stimulantibus; infriktiones etiam unguenti hydrargirii fortioris, inprimis in regione hepatis, utiles erant. In quibus mercurius acidus falsus, quamvis in magnis

portionibus adhibitus, in glandulas salivales vim exferere volebat curatio minus prospere succedebat. Primae a me expositae varietati calomelum etiam citius medebatur. Convalescentibus ad vires celeriter recuperandas expediebat, ut feбри liberati, in nosocomia convalescentium, ad hunc finem locis editis aut montibus exstructa, ferrentur, in quibus mox reficiebantur. Lavatio etiam in mari (matutino tempore circa horam sextam) non inutilis esse videbatur.

Quamvis Reichius professor Thompsonium chirurgum generalem de utilitate acidi salis in typho icterode adhibendi non admonisset, id tamen cum liquore *arrowroot* liquefactum in magnis portionibus per clysteres ab eo adhibitum vidi. Sed nihil utilitatis assererebat. Nec quae in nosocomio ad aërem meliorem reddendum experiebantur multum prodesse vidi; in navibus autem onerariis gas spiritus nitri, suffitus cum pulvere pyrio et acetum sparsum, etiam si naves prope oram sitae erant, ad nauticorum et copiarum terrestrium, quae navem conscenderant, valetudinem conservandam facere videbantur. Ad typhum icterodem, qui aliquot ante annis in Hispania saeviebat, sanandum, medici Hispanienses remedia illa multum profuisse affirmant. Irrigationem cum aqua marina frigida et tegumenta illa aqua irrigata, quibus aegroti involvuntur, tantum utilitatis asserere, quantum Currius et Darvinius ad typhum sanandum asserere contendunt, nullo modo animadverti. Galli fricabant et lavabant aegrotos citrei acido, sed parum proderat. Adhibitio iterata lavationis cum aqua pluvia (Schowerbath) in torpore et sopore, tanquam medicamentum valde irritans plurimum proderat.

Ad

Ad hunc morbum praecavendum, ut causas nocentes, si fieri potest, evitemus et diminuamus necesse est. Ad refrigerationes, quae multum nocent, praecavendas, pannus, qui *flanell* vocatur, amictui ferviens optimum praesidium est. Quamvis nimius usus vini et potionum spiritu plenarum multum detrimenti afferat, magis tamen nocet, praecipue iis, qui in Europa eorum usui assuefacti sunt, si iis se omnino abstineant. In hac enim mundi plaga nullo fere modo fieri potest, ut sitim aqua, nulla portione spiritu plena admixta, sedemus, nisi magna ejus copia sumatur aut multum acidi citrei ei immisceamus. Utrumque autem exhalationem supprimit, et typhum et dysenteriam allicit. Usus ergo modicus vini fortis, non acidi, et *rum* veteris bis liquati aqua commixti est commendandus. Fructibus illius terrae, qui sunt saporis jucundi, parce utendum est; infirmitate afficiunt, et eadem, quae nimius aquae usus, efficiunt. Omnibus advenis, si res familiaris permittit, ut extra urbes locis editis annum degant, nec urbes saepius visant, dum coelo assuefacti sint, suaserim; tunc periculum minus erit. Quamvis contagio non tanta sit, quanta in Europa putatur (ubi quidam febris flavae materiam contagionis specificam, ut in nostris variolis et morbillis fingunt); suaserim tamen, praecipue iis, qui typho icterode nondum affecti erant, ne aegrotos visant, qui vehementioribus typhi icterodis gradibus laborant.

No. 1.

Rec. ☉ rad. Rhabarb. gr. XX —
XXIV

Calom. pp. grjv

☿ febrifug. Jacob. gr. vj - vijj

Ol. Menth. pip. gtt. III - IV

Mucilag. Gi. Arab. q. s.

vt. f. pilul. No. VI.

s. Omni bihorio una pilula ad
alvum laxam sumend.

No. 2.

Rec. Kali ppt. ℥j

Succ. Limon. q. s. ad satur.
add.

Ol. Menth. gtt. IV - VI cum

Sacchar. alb. ℥j commixt.

▽ commun. q. s. ut Mixtur.

fiat ℞j

s. Omni hora cochlear. 1—2.

No. 3.

Rec. Infus. Cinchon. frig. par.

Ph. L. ℥xxvijj

TR Cinchon. ℥jv

m. s. Capiat omni 1 ½ hor. ℥jij - jv.

No. 4.

Rec. Kali praepr. ℥j

Succ. Limon. q. s. ad satur.

add. Ol. Menth. p. gtt. IV -

VI cum

Sacchar. alb. ℥j commixt.

Infus. Cinchon. frig. ℞jss

s. Sumat omni bihor. cochl. duo.

No. 5.

Rec. Vin. antim. Ph. L. ℥jss

TR. op. gtt. XV - XX

▽ Menth. p. ℥j

ds. Una vice sumend.

No. 6.

No. 6.

Rec. $\frac{\text{℥}}{\text{O}}$ Cinchon. flav. ℥j
 add. Infus. Cinch. fr. ℥xxx
 TR. Cinchon. comp. Ph.
 L. ℥jss
 s. Temporis 24 hōr. spatio fen-
 sim sensimque sumend.

No. 7.

Rec. Infus. frig. Cinchon. ℥j
 Ol. Cinnam. ver. c. Saccharo
 commixt. gtt. X.
 Aeth. vitr. ℥j - j
 mds. ut prius.

No. 8.

Rec. Capsici recent. grvj
 Mosch. opt. grvj
 Op. pur. grj
 m. bene in mortar. cum Confect.
 aromat. ut f. boli N. II.
 s. Una vice sumend.

No. 9.

Rec. Confect. arom. Ph. L. ℥j
 solv. in Infus. Cinchon. fr.
 ℥jss
 add. ∇ Pimentae f. Nuc.
 Moschat. ℥jv
 liq. a. m. H. ℥j - j
 ms. Capiat omni bihor. ℥j

No. 10.

Rec. Calom. grjjj - jv
 Confect. op. q. s. ut f. Bolus.
 s. Sumat omni bihorio ad remis-
 sionem usque.

No. 11.

Rec. $\frac{\text{℥}}{\text{O}}$ febrifug. Jacob.
 Calom. praep. āā grjv
 Confect. arom. q. s. ut f. Bol.
 s. Capiat omni bihorio ad trans-
 pirationem usque.


No. 6.


 No. 12.


Rec. Calom. grvj
 Mosch. opt. grx
 Conf. opiat. q. s. ut f. Boli No. 2.
 s. Capiat una vice et repet. post 2—3 hor.

No. 13.

Rec. Capfic. rec. grvj
 Mosch. opt. grvj—x
 Calom. grvj
 Confect. opiat. q. s. ut f. Bol. No. 2.
 s. Una vice sumend. et symptomatib. periculosiss
 non remittent. post 2—3 hor. repetend.









alvus, quae antea obstructa erat, exonerabatur, et alvi profluvium modicum exsistebat; si cutis calor deficiebat, cutis mollior fiebat, sudor aliquantus, calidus et continuans accedebat, febris mox et longiuscule remittebat; si post mercurii usum salivatio excitabatur, sitis non ita vehemens erat, potio et medicamenta non semper evomebantur; si meteorismus post quasdam alvi exonerationes diminuebatur, nullae boae et petechiarum similes pustulae apparebant, nullae vibices et sanguinis profusiones oriebantur. Vomitus non sedandus, vomitus niger, convulsiones, delirium continuans, stupor, lethargus, carbunculi, color flavus toti corpori obductus, excrementorum odor cadaverosus, singultus, frigidi et tenaces sudores etc. laeta non portendebant. Feminae et infantes a typho icterode rarius afficiebantur, si autem in hunc morbum incidebant, facile eo moriebantur. Indigenae typhum icterodem facilius perferebant, quam terris septentrionalibus oriundi, diutius autem residua infirmitate, et, exacerbationibus iteratis, morbis succedentibus laborabant, inprimis indurando hepate et rene, hydrope ascite, hydrocele et aesarca, praecipue pedum, qua saepius per omnem vitam afficiuntur. Aethiops typhum facillime perferebant; medicamentis convenientibus adhibitis, pauci illa lue decedebant. Vomitu molesto rarius nec ita graviter angebantur. Fortasse non levi momento est, quod eorum stomachus, valetudine prospera, minus irritabilis est, quam stomachus Europaeorum. Rarius haemorrhagiis laborabant, sed abscessibus, fortasse metastaticis, et pedum ulceribus. Aethiopes ii, qui modo ante breve tempus ex Guinea illati erant, facilius moriebantur, quam ii, qui in India

D 2

Occi-

